



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-559529-p0001-6

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-559529-p0002-2

DFG

W27  
C.I.N.D.N.I.C.

415

# PARALIPOMENON MEIERIANORUM,

Sive  
SELECTARUM QUÆSTIONUM  
JUSTINIANEARUM

Ad ubiorem Collegii Juridici Argentorat.

Interpretationem

DIRECTARUM,

DECAD. IV. Quæst. V. VI. & VII

Quas

SUB PRÆSIDIO

Viri Nobilissimi & Consultissimi,

DN. JOHANNIS REBHAU,

J.C. Com. Palat. Cæſ & in hac Almâ Argent.

Antecessoris Senioris, Doctoris ac Favitoris sui omni  
observantiae cultu prosequendi.

In solemnī Eruditōrum confessu disputaturus

Ehrenfrid von Lanckisch / Zitaviensis Lufatus.

Ad diem Julij.

ARGENTORATI,

Typis imprimebat JOHANNES PICKEL.

ANNO M. DC. LXII.





Inclytæ Reipublicæ Zittaviensis  
VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Prudentissimis,*

CONSULIBUS MERITISSIMIS.

Dn. CHRISTIANO ab Harttig in Hornig  
Hæreditario, Equiti Div. Marc.

Dn. HENRICO ab Hesstern in Ullersdorff &  
Sommeraw.

PRÆTORIBUS GRAVISSIMIS.

Dn. ANTONIO à KOHLO.

Dn. JOHANN. Eichlern von Aurig.

Dominis Patronis, Evergetis & Promotoribus  
meis certissimis, omni observantia cultu  
devenerandis.

Has studiorum academicorum continuatio-  
nes eâ quâ par est reverentia

consecro

Ehrenfrid von Landfisch/ LL. St.

T U i quod H̄eres corde tecum cogitas  
PATRIS subinde - curiosè - perpetim,  
Testaris ore, quam libris habent novem  
Digesta, mentis ultimæ Testatio  
Quid justa sit, dum disputas solenniter,  
Ac Tres movendo Quæstiones ventilas:  
De Codicillis, quos amat jus, suscipit.  
Pro parte Testamenti habet: De Filio  
Emancipato: deque Legatario.  
Præclarares, res maximè laudabilis.  
Quin res, cui contingit, exoptabilis.  
Felix, res cui contingit theoria,  
Qui praxis, ipsamet cui Testatio.  
Hincinde Tu ter jure felix diceris,  
Solenniter qui ter potes testarier,  
Adeoque, tecum corde quod tam cogitas,  
Testaris ore MATRIS H̄eres quoque Tuæ.

Contestandæ de re testamentaria gratu-  
lationis ac boni ominis animitus f.

M. Iohannes Henricus Sternberger,  
Zittâ - Lusatia.

Sicut, ubi vernis decorat Sol floribus annum,  
Florilega in pratis suavibus errat apis,  
Depascit flores, & lingit dulcia mella  
Mollibus è violis ore thymoque legens:  
Sic tua doctrinâ mens exornatur, Amice,  
Testaris sancto sicuti jure modò.  
Gratulor ex animo, decerpit Patria fructus  
Te tua perdulces, ac decus usque sies.

In amicitia testem festinante cala-  
mo app.

M. ADAMUS GEORGII CADEMANNUS,  
Pirnâ-Misnicus, SS. Th. Stud.

QUÆSTIO. V.

*An Codicillus sit species Testamenti.*

Ad C. I. A. 28. ff. i. thes. 28.

1. Ta sanè docuerunt & tradiderunt Accurs. in l. i. vers. velut. ff. qui Teuam. fac. poss. & ad l. 2. vers. sed & subtilitati. verb. ita omnes. C. de constis. pecun. & ad l. 2. verb. personales. hoc notat: Codicilli sunt testamenta in larga significatione, scilicet testatio mentis. C. commun. de Leg. vers. sed certè & tunc. & in l. 8. §. si post. 3. verb. testatur. ff. de Iur. Codicill. Bald. in d. l. 2. num. 10. C. comm. de Legat. Salicet. ibid. num. 6. Wesembec. in Parat. ff. de Iur. C. odicill. num. 1 ibi qui latâ testamenti significatione comprehenduntur. Treutler. 2. disp. 10. th. 1. th. 10. Bocer. class. 2. disp. 1. th. II. Menoch. 4. de præsumpt. 3. num. 6. 7. 8. Matth. de Afflict. decis. Neapolitan. 134. qui exinde hæc conficiunt porismata:
- 1. quod si Notarius in proœmio dixerit, hoc esse Testamentū alicuius; & tamen inibi non contineatur heredis institutio, sed tantum legata & fideicōmissa, tunc præsumatur testator facere voluisse codicillos.
  - 2. quod ei, cui data est facultas testandi de Emphyteusi, etiam codicillis emphyteufisi relinquerere possit.
  - 3. quod quis non intelligatur dixisse contraria, qui dixit, legata sibi deberi ex testamento: & deinde dixit, & probavit, legata sibi deberi ex codicillis.
  - 4. Item, quod statutum prohibens testati, prohibere quoque intelligatur facere codicillos: & quæ plura sunt alia, quæ insuper diversorum Dd. auctoribus comprobant.
3. Verùm, quod tamen pace & salvâ auctoritate tantorum virorum dixerim, parùm videtur hoc convenire cum jure civili: & propterea id, quod fortè suâ auctoritate tanti obtinere potuissent Doctores, hoc ipso suspectum & dubium reddiderunt, dum idem juris civilis principiis obtinere & evincere sategerunt: Etenim dum juris textus allegant, eo ipso juris textus, & totam juris analogiam tanquam fundamentum & principium adgnoscunt, ex quo eiusque auctoritate & vincere & vinci debeant. Sed apparebit ex locorum illorum, quibus utuntur recensione & explicatione haud satis opinionem hanc jure civili fundatam esse.
4. Probare autem conantur hanc opinionem, 1. per l. Pamphilo. 39. in princ. ff. de legat. ubi testator appellatur is, qui tūm codicillos

tantum

tantum fecerat. Si igitur testator est, qui tantum codicillos fecit, utique codicilli ipsi quoque erunt testamentum. Hac enim, tanquam conjugata, sese consequuntur & mutuo ponunt: Codicillos faciens testator est. Ergo codicillus testamentum quoddam est. Verum Respond. consequentiam huius argumenti non esse necessariam: Testator in d.l.39. codicillos tantum fecit. Ergo antea non, aut nunquam fecit testamentum: cum omnino esse possit, ut ille ipse testator alio tempore etiam fecerit testamentum, cuius responde hic dicatur testator. Deinde, quemadmodum ex eo quoque testator quis appellari potest, quod omnis is, qui codicillos facere vult, debeat, ratione sui, posse facere testamentum, sive habere testamenti factionem activam. l.6. §.3. l.8. §.2 ff. de Iur. codicill. l.5. C. eod. ita hic quoque, qui potestate sive potentia testator esse debebat, testator quoque appellari potuit. fac. l. cum antiquitas. 28. in fin. C. de Testament.

2. Objicitur l. si quis. 22. in princ. ff. de legat. 3. ubi testator in principio testamenti adscripsit: *Cui bis legavero, semel deberi volo.* postea, ut in d.l. 22. princ. dicitur, testamento vel codicillis sciens saepè eidem legat. Ubi quod ab initio dicitur testamentum, id postea dividitur & distinguitur in testamentum in specie sic dictum, & codicillos. Respond. impingit illatio haec in leges bona interpretationis. Etenim interpretatio haec non est necessaria: consequenter in ea assumenda committitur petitio principii. Immò textus ille interpretationem illam non patitur: dum enim dicit, eodem testamento vel codicillis, eo ipso significat, testatorem vel eo ipso tempore, quo scripserat: *Cui bis legavero, semel tantum deberi volo.* saepius legasse: vel codicillis separatis factis, ita, ut illud ipsum testamentum, quo scripserat, cui bis legavero, distinguat à codicillis.

3. Opponitur l. si quis. 3. §. si quis tabulas. 23. ff. de sc. Sillan, ubi expressè dicitur, codicilli ad causam testamenti pertinent. Quod ipsum etiam traditur l. tabularum. 2. §. 4. l. sicut. 1. ff. Testam. quemadmodum aper. l. 1. in princ. & §. 2. ff. de tabb. exhib. ibi: ad causam testamenti pertinent, ut pura & ad codicillos. Verum respond. argumentum fallere & causā & accidente: neque enim sequitur; Codicilli pertinent ad causam testamenti. Ergo codicilli sunt species quædam testamenti. Nam in Maieri propositione, quæ ita se habet: *Quicquid pertinet*

ad causam testamenti, illud est species testamenti: non tantum evidenterissimum principium petitur: quippe quod dubium peraeque, immo magis dubium probetur: verum etiam simpliciter falsum est: pertinent enim etiam testes, legata, aditio hereditatis, & alia plura ad causam testamenti, quæ tamen nemo dixerit species esse testamenti.

7. 4. Objicitur *l. ult. §. i. C. de' codicill. ubi is'*, qui decrevit facere testamentum, neque id adimplere potuit, potest voluntatem ultimam ex codicillis traducere ad fideicommissi interpretationem, si complexus sit id, ut vim quoque codicillorum scriptura illa obtineat. Verum Respond. hoc quod in quæstione est, ex h.l. tanto minus deduci posse, quanto magis contrarium exinde patescat, & argumentum hoc inversum fortius urgeat, codicillum non esse speciem testamenti. Etenim opponuntur testamentum & codicillus, usque adeo, ut testator, qui decreverat facere testamentum, videri non possit, voluisse codicillum facere, nisi hoc ipsum expressè dixisset. Unde in eod. §. traditur, eum, qui ex testamento agere voluerit, non potuisse migrare ad fideicommissum, hoc est, non posse fideicommissum petere ex codicillis.

8. 5. argumentum & penè præcipuum adfertur *ex l. i. ff. quæ testam. fac. poss. ubi commentantur Dd. quod nisi vocabulum testamenti inibi sumatur in larga & generali significatione, definitio illa non sit convertibilis cum suo definito, nempe testamento, sed latior eodem sit: quippe quod & codicillus, & epistola fideicommissaria, & si qua alia est voluntas ultima, haud secus ac testamento, sit justa voluntatis nostræ sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. Et sanè, Respond. uti difficultas hæc non parum In interpretum ingenia torsit: ita quoque variii varie ad argumentum hoc responderunt, arbitrati, formam specificam latere in verbo *justa*. conferatur Dauth. tr. de Testament. num. 12. alii aliter, uti videri est apud Treutl. d.l. & ad hunc imprimis Hunn: in resolut. d. l. quæst. 3. cumque nec vacet nec juvet, omnia illa Interpretum acera hic evannare, verborum compendium facturus, arbitror rectius responderi, si dicamus, specificam formam latere in illis verbis: de eo, quod quis post mortem suam fieri velit; quæ verba intelligenda de roro eo, quod quis post mortem suam fieri vult. Et suboluere hoc jam olim nonnulli, uti videre est ex Accursii glossa ad l.i. verb.*

l. i. verb. justa sententia. vers. & ut tollas. ibi: non ergò oportet dici, ut quidam dicunt, de eo, scilicet universo, ut excludantur singularia relictæ. A qua tamē sententia malè recessit Accursius, & fortè, quod J. C. Tum acceperit, q. non tantum loqueretur de materia hereditatis relictæ: ita enim ait: *Sive ex re universa, sive ex re certa instituatur, valet ex universo:* hâc enim ratione sententia illa rectè repudianda est. Verùm enimvero, vox, totum, hîc aliter accipi oportet, videlicet, totum id, quod quis post mortem suam fieri velit, & quod testamento declarari potest: id enim totum, & omne, testamento explicatur; cum reliquis ultimis voluntatibus, tantùm pars declaretur eius, quod quis post mortem suam fieri vult. Nam in codicillis tantùm declaramus, quid velimus heredem nostrum præstare aut facere aliis: in donatione mortis causa declaramus, quid donatarium habere velimus: in Epistola fideicommissaria declaramus, cui fideicomissa sint præstanta; Ast quein heredem habere velimus, id non declaramus, neque in codicillis, neque in Epistola fideicommissaria, multò minus in donatione mortis causa: quæ tamen omnia, ut & alia, testamento declarantur: Et quidem in testamento declaratur id, quod quis statim & immediatè & præcipue post mortem suam fieri vult, videlicet, quis debeat esse heres: hoc enim omnium primum est eorum, quæ quis post mortem suam de patrimonio suo fieri vult, & hoc quidem statim post mortem sequitur, ita ut rectè & primò post mortem fieri dicatur, cùm immediatè post mortem fiat; reliqua autem omnia mediatè fiant, & ita non primò, sed secundariò. Et ideò, quia hoc immediatè fit post mortem, rectè dicitur caput & fundamentum testamenti. §. ante heredis. 34. Inst. de legat. per quod hoc vires accipit. l. quod per. 10. ff. de Iure codicilli, quo posito, testamentum etiam simul ponitur: hocque vicissim sublatu vel deficiente, tollitur quoque, & nullum est testamentum. Nam quamvis plura sint, quæ sine testamento esse non possunt; testamentum tamen sine iis esse potest, veluti tutoris datio. §. 3. Inst. de Tutel. item legatum. §. 10. Inst. de fideicomm. item directa libertatis datio. §. 2. Inst. de singul. reb. per fideicommiss. reliqt. Itaque testamento declaratur sententia nostra de iis, quæ possunt esse sine testamento: & de iis, quæ non possunt esse sine testamento: & de eo, sine quo non potest esse testamentum, quod est heredis datio, sive heredis institutio. Proinde, & ut omnia hæc testamento comprehendi

## 252 SELECTARUM QUÆSTIONUM JUSTINIAN.

possent, optimè J Ctus testamentum ita definivit: quod sit *justa sententia de eo*, quod quis post mortem suam fieri velit: atque sic definitio, hæc suo definito non est latior, sed, si modò quædam in jure est, omnium absolutissima.

9. Sed instet aliquis: voculam, *omne*, vel *totum*, non haberi adjectam, nec legi in definitione testamenti: siquidem d.l.i. dicit simpliciter *de eo*, non, *de omni eo*, vel *toti eo*, quod post mortem suam fieri velit. Respond. quod in materia necessaria propositiones indefinitæ sint habendæ pro universalibus, ut norunt Logicorum filii: in definitionibus autem materia necessaria versatur: atque ita signum hoc universalitatis sèpè non ponitur, & tamen subintelligitur, ut in princ. Inst. quib. mod. toll. oblig. ibi: tollitur omnis obligatio solutione eius, quod debetur. ubi particula, *eius*, tantundem valet, ac si dictum esset, *omnis eius*, vel *totius eius*, aut *integri eius*, quod debetur. Item in l.i. circa fin. C.de Iur. Emphyteut. vox, *ipsius rei*, idem significat, quod *totius rei*, & in l.domus. § C.de R. V. ibi: *eius*, quod impendit, hoc est, solidum, omne id. & in l.3. princ. ff. de const. pecun. ubi solidum debetur, quamvis dictum sit: se soluturum id, quod ex dotis causa debet. Et tale quid legitur etiam apud Philosophum in 3. Ethic. Nicomach. 2. ibi: *opinio est circa omnia*. Ergo *opinio* non est opinio: perinde enim est, ac si dixisset: *omnis opinio est circa omnia*. Item apud Ciceronem: triginta ipsos dies, hoc est, integros, totos. Apparet igitur, in ea definitione particulam, *eo*, pariter quoque accipi posse, pro *omni eo*: immò ita accipi debe-re: nisi enim totum quid esset, tum dicendum esset, de aliquo, quod quis post mortem suam fieri velit: quod ipsa subjecta mate-ria repudiatur.

10. Dixerit quis: Sèpè omnia ista in testamento non declaran-tur. Respond. Quid inde? cùm quoque necesse non sit, ista omnia declarari in quovis testamento, sed sufficiat omnia eo declarari posse: & id omne exponi in testamento, quod testator voluit: Et si quid testator non exposuit, id quoque revera & seriò voluisse non intelligitur. Sic, licet plurima sint & fiant post mortem alicuius, quæ testamento non exponuntur: attamen nec omnia illa & talia, quæ post mortem alicuius fiunt, testamento exponi debent; sed no-stra tantum voluntas in testamento explicanda est.

*Instet*



*Inſtitutus quis rūſſus: Atqui vir bonus debet velle, ut bene sit patrī, religiōni &c.* *Respond.* Talia hæc tacitè omnium bonorum virorum consiliis insunt, ita ut declaratio optis non habeant: non veniunt autem in testamentum propterea, quod ea sit, saltem esse debeat, communis omnium voluntas: cùm in testamento nostræ tantum voluntatis sententia requiratur, non æquè communis voluntas, quæ partim nostra, partim verò aliena sit: sed quæ simpliciter & pure nostra sit. Atque sic puto satis explicatam esse difficillimam illam objectionem, quæ ab Interpp. com. contrad. testamenti definitionem Modestini JCti objici & urgeri solet: Quā sic remotā, ceteræ objectioes facilius nunc dissolvi possunt, quales sunt, 1. quod dicta ista definitio sit obscura, & testamentum non explicet. Nam *Respond.* esse eam obscuram, sed non suo, verū hominum vitio: dilucida autem etiam homini fieri potest, si certa accesserit explicatio.

2. Quod vulgo dicitur: bonam definitionem debere constare verbis propriis & perspicuis: non verò ambiguis: talēm autem hanc nostram esse, docet & demonstrat Dauth. tr. de Testam. num. 12. ex Bart. ibid. num. 13. Verū *Respond.* minus hoc obstat: Nam si quæ est significatio verbi huius, *justa sententia*, definitioni huic non conveniens, ea tunc omnino excludenda est: atque ita vitiōsis istis remotis remanebit vera: Quod si verò omnes & singulæ significatioes convenient & quadrent, etiam omnes admitti possunt, ut si dicamus; *justam sententiam dici*, quæ secundum leges & naturales & civiles est justa.

Nec urget instantia, si quis dixerit: Testamentum inofficium, neque secundum leges naturales, neque secundum leges civiles justum est. Ergò testamentum inofficium non est justa sententia, & per consequens non est testamentum: quod tamen falsum est, quomodo enim alijs esset testamentum inofficium: immo quomodo diceretur testamentum ordinatum sive factum esse, in princ. Inst. de inoffic. testam. l. 16. C. eod. l. 2. §. 1. ff. quemadm. testam. aper. Siquidem *Respond.* Testamentum inofficium catenus est testamentum, quatenus est jure perfectum, & quatenus solemnitates juris in eodem ordinando sunt observatae, nullumque est in eo vitium manifestum, atque in oculos incurrens; sed latens tantum inofficiorum: Quod verò ad jus naturale & pietatis rationem attinet,

non est jure perfectum : & propterea, si convincatur inofficiosi, sive quod contra officium pietatis factum sit, omnino evertitur. Unde etiam fit, ut intestatus reddatur is, cuius testamentum per querelam inofficiosi rescinditur. l.6. §.1. l.13. in fin. l.15. §.ult. in fin. l.17. in fin. princ. l.19. l.21. §. ult. l.24. ff. de inoffic. Testam. l.17. C. de collat. Nam per sententiam, quæ fertur contra institutum, ipso jure testamentum rescinditur. l.8. §.16. ff. d. t. de inoffic. testam. & jure antiquo penitus nihil ex tali testamento valebat, d. l.8. §.16. & l.28. ff. d. t. sed planè nullum habebatur. princ. Inst. eod. quod testator, quasi non sanæ mentis fuerit, testamenti factionem non habuisse credebatur, l.17. §.1. ff. d. t. l.36. ff. de legat. 3. princ. Inst. de inoffic. testam. Ex quibus apparet, definitionem testamenti nullatenus suo definito latorem esse : quâ in quæstione communis contra communem est, uti annotat Hieronym. de Cævallos in Specul. aur. opin. commun. Sunt alii, qui supplendam definitionem hanc putent, adjectis verbis his : cum heredis institutione. confer, Gloss. in princ. Inst. de testam. ordin. & in d. l. 1. ff. qui testam. fac. poss. ad verb. justa sententia. vers. & ut tollas, quam tamen subauditionem vel additionem reprobavit Bartol. in rub. ff. eod. Covar. tr. de testam. in rubr. p. i. n. 9. & seqq.

15. Atque ut de cœteris etiam asteriscis, quibus definitio hæc testamenti ut vitiosa ab Interpretibus notatur, arreptâ hæc differendi de eâdem occasione, uberius agamus : Sunt, qui putant, eandem definitio suo angustiorem esse, propterea quod non conveniat omni testamento : exempli gratiâ, non convenit testamento peregrini : justa enim sententia ea demum est, quæ jure civili justa est. Atqui peregrinus jure civili testamentum facere non potest : cùm jus civile conservet tantum testamenta civium ; peregrinus vero civis non est. Ulpian. in fragm. Tit. 20. §.14 l.11. ff. qui testam. fac. poss. l.31. l.32. ff. de jure fisc. l. 1. §. 2. 3. 4. ff. de legat. 3. Neque etiam definitio hæc testamenti convenit militis testamento : Etenim omnis justa sententia jure facta sit oportet : quod vel ex ipsa conjugorum natura liquet. Atqui militis testamentum non est jure factum, ceu quod ritè ordinatum & factū non sit : jure autem factum, id ritè quoque factū est : & ritè factum est, quod jure factum. l.1. l.2. ff. de injust. rapt. l.6. in princ. ff. ad L. Cornel. de fals. Ergò. videatur Ant. Matth. l. colleg. Inst. disp. 8. thes. 2. lit. c. ubi, ut difficultatem hanc tollat, expungit voc. justam. quod repetit in 2. colleg. Inst. disp. 5. thes. 2. & in colleg. Pandect.

Pandect. disp. 37. thes. 2. § 3. Verum Respond. Sententia justa est, quæ suo jure justa est, non alieno, veluti, testamentum erit justum ex jure testamentario, non ex jure contractuum: & contractus erit justus ex jure contractuum; non est jure testamentario. Sic hereditatis aditio erit justa, non ex jure bonorum possessionis; sed suo: & bonorum possessio erit justa, non ex jure aditionis hereditatis; sed proprio suo. Peregrini igitur testamentum est justa sententia, secundum suæ civitatis jura. Ulpian. d. t. 20. §. 14. in fin. si modò sit alicuius civitatis civis. Nam si qui planè sint ~~στόλιδες~~, & ita peregrini, ut nullius sint civitatis cives, hi planè non poslunt testari. d. l. i. §. 2. 3. 4. ff. de Legat. 3. Sic quoque testamentum militis est justum jure militari, quamvis non sit perfectum jure, hoc est, non sit factum jure pagano, sive quod idem est, quamvis non sit ritè factum, ut ita Anton. Matthæi d. loc. virgulâ criticâ nullatenus hîc opus sit.

Quod si quis verò ita argumentari velit: Quicquid non est hoc modo justum, illud nullo modo est justum. is improbabiliter, unâ specie sublatâ, niteretur genus tollere: cùm contrà verum sit: Quicquid suo genere factum est, id in genere illo justum quoque est: licet aliquo modo & certo respectu injustum dici possit. Peregrini igitur & militis testamentum justum est in genere; licet non sit justum in specie, juri scilicet communi civili, civium Romano-rum, paganorum.

Atque ita definitione testamenti assertâ & vindicatâ, progradimur ad alia, quibus adstrui putatur, quod codicilli sint species testamenti. Et quidem 6. adfertur princ. Instit. de testam. ordinand. Unde sic argumentantur: Testamentum ex eo appellatur, quod sit testatio mentis. Atqui codicillus est testatio mentis. Ergò. Resp. Syllogismum hunc legitimos terminorum, omni syllogismo simplici positorum fines excedere: quippe quod evidentissimè aliud sit, esse testationem mentis, & aliud, esse ex eo appellatum, quod sit testatio mentis. Deinde, laborat quoque manifestâ ~~ἐπινομογίᾳ~~: concluditur enim affirmativè in secunda figura. Ne dicam, quod haud liceat à notatione, saltem non affirmativè argumentari: Codicillus est testatio mentis. Ergò est testamentum: perinde enim est, ac si quis inferre vellet: homo ex eo dictus est, quod sit ex humo.

Ergò

Ergo olla fictilis, sive vas sigilinum est homo, quod certe, ne quid durius dicam, absolum est.

18. Dixerit quis: quod *in d. princip.* non sit mera & nuda notatio; sed esse nominis impositionem à forma desumptam: quemadmodum cùm jus à justitia appellatur. *I.i. ff. de I. & i.* Novatio à novo nomen accepit, & à nova obligatione. *I.i. in fin. ff. de novat.* possessio appellata est à sedibus, quasi positio. *I.i. ff. de acquirend. possess.* Donatio dicta est à dono, quasi dono datum. *I.35. §.2. ff. de donat.* Damnum dictum est ab ademptione & diminutione patrimonii. *I.3. ff. de damn. infect.* Pactum à pactione. *I. i. §. 2. ff. de pact.* & quæ alia talia passim in jure leguntur. Verum Respond. nisi verbum, mentis, in dicto principio accipiatur *κατ' εξοχήν*, de eo, quod maximè volunt homines, & quod maximè & ultimo volunt enixè, hoc est, de supra voluntate, & de præstantissima ultimæ voluntatis specie, tum non ex perfecta testamenti forma appellatum dici potest testamentum, si appellari dicatur ab eo, quod sit testatio mentis; sed tantum à particula aliqua formæ. Est enim testamentum testatio mentis; sed non qualiscunque testatio, nec cuiuscunque mentis; sed testatio mentis de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. Itaque cum testamenti forma illis verbis, *testatio mentis*, perfecta non contineatur, rectè dicitur, propositionem *in d. princ. Inst. de Testam. ordinand.* propositam, non esse convertibilem, saltem non posse simpliciter converti. Neq; enim verum est, omnem mentis testationem esse testamentum; quamvis hoc verum sit, omne testamentum esse testationem mentis. Sic pactum dicitur à pactione, sed non vicissim, quicquid à pactione dicitur, id quoq; est pactum; nam à pactione pacis quoque nomen appellatur. *I. i. §. 2. ff. de pact.* quæ tamen non est pactum, quamvis pacto fiat.
19. Adducitur 7, quoque *I.16. ff. de Iur. codicill.* ubi dicitur: Codicillos intestato patrefamilias mortuo, vicem testamenti habere. Sed Respond. consequentiam hanc nullam esse: neque enim procedit *Maior propositio*, quâ objectio hæc innititur. Quicquid habet vicem, siye est vice alicuius rei, id illius est species: Nam alias etiam legatus Proconsulis esset species. Proconsulis: & vicarius Regis, esset species Regis, & pactum successorium, esset species testamenti. *I. 5. C. de part. convent.* quod dicere absurdum est: Annon etiam testamentum dicitur vicem codicillorum habere. *I. ult. §. 2. C. de codi-*

codicill. quod idem est, atque vim codicillorum habere. d.l.ult.§.i.  
Quis autem sanæ mentis exinde induxit & concluserit. Ergò te-  
stamentum est species codicillorum.

Sic ex eiusdem L.ult.inductione legitima, hoc quoque quorun-  
dam inverti potest argumentum: Codicillus habet vim testamenti:  
(ita enim quidam d.l. 16. ff. de Iur. codicill. legunt) Ergò est species  
testamenti. Siquidem, cùm ex d.l.ult.§.i. constet, quod etiam testa-  
mentum habeat vim codicillorum, neque tamen dici possit, illud  
esse speciem codicillorum; consequens est, quod ob hanc ipsam  
quoque rationem, ne quidem codicilli sint species testamenti.

8. Opponitur: Quicunque testibus adhibitis declarat suam  
voluntatem, ille testatur. n. ff. & C. de Testam. l.20.§.i. ff. de adquir.  
hered. l.ult. ff. de l. commiss. cum similib. Atqui, qui codicillos facit,  
is testibus adhibitis declarat suam voluntatem. §. ult. ibi: neque ex  
quinque testium numero possit res manifestari. Inst. de fideicommiss. here-  
dit. l. 32. §.ult. ibi: sed five quinque. C. de fideicommiss. l.ult. §.ult. C. de  
codicill. Ergò qui codicillos facit, ille testatur: & proinde poterit  
dici testator: consequenter id quoque quod fecit, poterit dici testa-  
mentum: maximè cùm etiam Logicorum sit regula, quod quando  
nomen principale pluribus modis dicitur, tum quoque pluribus  
modis dicatur casus ab eo ductus: & econtra. Aristotel. i. Topic. 13.  
Sed Respond. esse homonymiam in verbo, testari: qui codicillos fa-  
cit, is testatur. l.8.§.3. ibi: de alienis rebus testatur. ff. de Iur. codicill. &  
ibi Accursius, quemadmodum etiam in l. 3. ff. de Testam. milit. dicitur,  
ibi: genus testandi elegerit. & paulò post, utroque genere testandi.  
Verùm in significatione populari & vulgata, hoc est, testibus adhi-  
bitis aliquid dicit, aut facit, aut declarat; sed non facit testamentum.  
Significat igitur testari verbum, aliquando idem, quod testibus adhi-  
bitis aliquid declarare: quæ significatio competere codicillis potest.  
dd.ll. Aliquando verò significat testamentum facere, quæ signifi-  
cacio nunquam tribuitur codicillis. l.7. C. de codicill.

Regula quoque illa de conjugatis & casibus, intelligenda tan-  
tum de eo, quod jure fieri posset, si usus permitteret, & habet hanc  
explicationem sive limitationem. Itaque in priore significatione  
reperimus casus istos, testato, testatus: non etiam reperimus testa-  
mentum: nisi apud scriptores non JCtos: maximè Theologos, sic  
Augustinus expressè dicit: amant scripturæ pro pacto ponere testa-

## 258 SELECTARUM QUÆSTIONUM JUSTINIAN.

mentum : Item apud Isidorum, 4. Origin. cap. 24. quod pluribus diducit & docet Covarruvias tr. de Testament. in rubr. p. i. num. 6. In pôsteriore verò significatione, ubi testari accipitur pro testamen-  
tum facere, reperimus casum istum Testator, & testamentum facere:  
ita ut qui codicillos tantùm fecit, intestatus deceſſisse dicatur. l. pen.  
ff. de Iur. codicill. & ipsi codicilli dicuntur ab intestato facti. §. 1. Inst.  
de codicill. l. 3. §. l. 16. ff. eod. l. 8. §. 2. ff. de Transact. Et ideo, si origi-  
nem vocabuli respiciamus, atque derivandi facultatem, testamen-  
tum dici poterit, omnis testatio, vel testandi actus. Si verò ad stylum  
Jurisprudentiæ, communemque usum, quem penes arbitrium est &  
vis & norma loquendi, ut ait Horat. de art. poët. is repudiabit vulga-  
rem testandi significationem in vocabulo Testamenti.

23. 9. Haud leve quoque argumentum videtur sumi posse ex  
l. cùm pater. 77. ff. de legat. 2. ubi fideicommissum relinquere est  
etiam testari. Item ex l. 5. C. de pact. convent. tam super dot. hoc modo  
informatum : Quo instrumento datur hereditas, non tantùm dire-  
cta, verùm etiam fideicommissaria, illud est testamentum. add. l. 28.  
§. ult. C. de Testam. junct. l. 21. in princ. C. eod. l. ult. §. ult. C. d. t. & passim.  
Atqui etiam codicillis datur hereditas. Ergò. Verùm Respond.  
argumento huic quatuor inesse terminos: 1. instrumentum here-  
ditatis directæ & fideicommissariæ dativum. 2. Testamentum.  
3. Codicilli. 4. hereditas. Deinde maiorem, quâ fideicommissa-  
riam hereditariam, esse particularem: quoddam enim instrumen-  
tum, quo datur hereditas fideicommissaria, est testamentum: siqui-  
dem fideicommissaria hereditas interdum datur testamento, quan-  
do scilicet testamento relinquitur: interdum etiam codicillis, cùm  
scilicet in codicillis est relicta. Item ad minorem respond. falsam  
illam esse, quoad hereditatem directam, quæ codicillis neque dari  
neque adimi potest: tantùm enim per fideicommissum hereditas  
codicillis relinquitur. §. pen. Inst. de codicill. l. 2. in fin. l. 3. in princ.  
ff. eod. ubi etiam Dd. commun.

24. Cùm igitur hactenus argumenta allata nihil concludant, Juri  
omnino convenientius docetur, testamenti vocabulum esse tantùm  
notionem imæ speciei. arg. l. 8. C. de codicill. ubi Imp. Constantinus  
dicit, ideo diversa nomina his instrumentis dari, quia codicilli non  
idem, quod testamenta possunt: quâ monitione opus non fuisset,  
si vis & potestas una illas duas instrumentorum species sociasset. Et  
hinc

hinc perpetua est in Jure civili inter testamentum & codicillos  
oppositio. l.1. l.2. l.7. l. ult. in princ. §.1.2. ult. C. de codicill. l.14. ff. eod.  
l.14. C. de testam. qua plerique etiam in hac controversia utuntur.  
l.1. l. 2. in princ. & §.1.2. ult. & passim. ff. de Iur. codicill. l.3. §.25. ff. de  
SC. Silan. l. 22. in princ. ff. de legat. 3. l. ult. C. quemadm. Testament.  
aper. l. 3. C. de bonor. libert. l. 13. C. de Sacros. Eccles. aliisque in locis  
quamplurimis.

Regerat quis, quod hâc interpretatione evertantur omnia illa,  
quæ sub initio huius quæstionis notata fuere potissima. Respond.  
non omnia propterea everti. Etenim stante hâc sententiâ, quod co-  
dicilli non sint species testamenti; nihilominus tamen verum erit.  
1. eum, qui testari prohibitus est, etiam non posse codicillos face-  
re; sed ob aliam juris regulam: nempe, quod nemo possit codicillos  
facere, qui non possit testari. sive, quod quicunque potest codicillos  
facere, is etiam testari possit. l.1. l.3. l.8. §.2.3. ff. de Iur. codicill. l.5. C. eod.  
2. Sic quoque, si testator codicillos fecerit; Notarius verò per erro-  
rem in procēmio instrumenti codicillos illos appellaverit testamen-  
tum, error ille Notarii non nocebit codicillis, illosque evertet: sed  
hoc non obstante, firmiter subsistent, per regulam illam Juris pri-  
mariam: quod scilicet veritas rerum gestarum erroribus non vi-  
tietur. l.6. §.1. ff. de offic. Praesid. l.8. ff. de stat. hom. l.15. de Iurisdic<sup>t</sup>  
l.5. §.1. de negot. gest. l.20. in princ. ff. fam. ercisc. l.6. in princ. l.17. §.10.  
ff. ad Municip. l.92. ff. de R. I. ubi Jacob. Gothofred. l. unic. C. de error.  
calcul. l.2. C. de error. advocat. rubr. & tt. C. plus valere quod agit. l.10.  
C. de contrah. empt. l.4. l.5. l.7. l.24. C. de testament. l.10. C. de donat.  
Semper enim veritati locus superesse debet. l.19. §.1. ff. de probat.  
Pariter 3. Is, cui data est potestas testandi de Emphyteusi, poterit  
etiam codicillos facere, non ideo, quod codicillus sit species testa-  
menti, sed ob illam supra notatam regulam: quod quicunq; testari  
potest, is etiam possit facere codicillos. 4. Quod si verò is, cui ex  
codicillis debentur legata, intendens ea deberi ex testamento, in  
damnum aliquod incurrat, hoc suæ quidem stultitiae vel negligen-  
tiæ ipsi imputare licet; non autem formam Juris, aut Iurid. Actio-  
nis per illam immutare. l.20. ff. fam. ercisc. quanquam, nisi stultissi-  
mus fuerit, vix est, ut damnum incurtere possit, si agat actione per-  
sonali, ob rationem, quæ habetur in l.14. §.2. de Except. rei judic. ubi  
dicitur, quod in actionibus in personam singulas obligationes fin-  
gulæ

gulæ causæ sequantur, nec ulla earum alterius petitione vitetur. Non vitiabitur igitur petitio legati vel fideicommissi ex codicillis; quamvis malè egerit petendo legata ex testamento. Sed neque tūm malè petit legata ex testamento, quæ ex codicillis debentur, cūm codicilli testamento confirmati sunt, quia tunc codicilli testamenti pars sunt. l. 11. ff. Testam. quemadm. aper. conferatur etiam super hac quæstione Grassius recept. sent. §. Codicillus. n. 21. Hillig. 6. D.E. 4. lit. d. Alciat. ad rubr. ff. de legat. I.

## QUÆSTIO VI.

*An filius emancipatus testis esse possit  
in testamento patris sui : Et  
viceversa?*

Ad C.I. A. 28. th. 12. n. 4.

1. Negativam sententiam communem esse, testatur ipse dissentiens Nicol. Reusner. 3. de Testam. 20. num. 17. vers. sed hæc ita quidem. Mynsing. ad. §. 9. n. 3. Inst. de Testam. propugnat pluribus Bart. ad l. 20. §. quæcunque. n. 2. ff. qui testam. fac. poss. Clarus §. Testamentum. quæst. 55. n. 9. Dauth. ad l. 20. in princ. ff. qui testam. fac. poss. Rævard. 2. varior. 8. Timæus Fab. 18. annivers. 9. & alii ab his laudati.

2. A qua tamen communī opinione plerique Neotericorum recedunt, ut Donell. 6. comm. 7. ubi Hilliger. in not. lit. N. Reusner. d. l. n. 17. Dauth. de Testam. n. 416. vers. 6. ibi: non existentes. Bronchorst. 3. assert. 23. Treutl. 2. disp. 30. th. 4. lit. m. Arumæ. 7. Exerc. 25. Hænon. 7. disp. Inst. 8. Forster. 12. disp. 8. Viglius in comm. ad d. §. 9. Inst. de testam. ordinand. n. 4. Wæsemb. Harprecht. eod. Charond. 2. verisim. 10. Hortens. ad §. 9. Inst. de testam. ordin. Anton. Matth. 1. coll. Inst. disp. 8. th. 13. lit. b. Andr. Gerhard. 7. quæst. 4. Duar. 1. disp. 28. P. Berens. 5. disp. 1. q. 7. Dn. D. Ludvvel. ad d. §. 9. l. de test. ordin. & 7. disp. 7. lit. c. Dn. D. Locamer. quæst. Iustin. 227. adeò ut non immerito de communis opinio- nis veritate quis dubitare queat.

3. Veruntamen pro communis opinionis veritate, videntur adhuc stare rationes haud contempnendæ; immo illis, quæ pro ad- versâ opinione afferuntur, longè fortiores, quam ut patiantur nos à communī illa opinione dimoveri. Et quidem præ primis com- munem

munem opinionum defendit. 1. l. testis. 9. ff. de testib. canonisata in  
Can. si testes. 4. q. 3. ubi JCtus expressè dicit: testem idoneum patrem  
filio, aut filium patri non esse. Quæ lex cùm indistinctè loquatur,  
meritò quoque indistinctè intelligitur, donec probatur exceptio  
sive limitatio. l. 8. & ibi Dd. ff. de publician. in rem act. Everhard. in  
Topic. loc. de generalit. n. 2. Barbosa locupl. 7 c. i. axiom. 3.

Neque est, si quis dicere velit, quod in d. l. agatur de filiofamilias  
& patre, qui in potestate habet. Etenim id ex d. l. 9. haud apparet, ceu  
in qua simpliciter de patre & filio agitur, ut intelligamus, neuti-  
quam illam ad patriam potestatem, sive filium, patremve familias in  
specie restringendam; sed in genere nomen patris & filii intelligen-  
dum esse: immò quatenus pater filio testis est, oportet filium esse  
ēmancipatum, aut pro emancipato haberri: quippe quod aliàs  
actionem, quæ ad patrem spectaret, nullam haberet: Nam quate-  
nus actionem habet, eatenus habetur pro patrefamilias. l. 17. §. ult.  
ff. de injur. nihil igitur potestatis consideratio & præsumta suppositio  
hīc quidpiam ad rem facit.

2. Confirmatur etiam hæc sententia hæc ratione: Si filius  
ēmancipatus potest esse testis in testamento, aut erit talis ut heres  
institutus, aut ut exheredatus, aut ut præteritus: alius enim, re-  
spectu testamenti paterni, considerari non potest. Atqui non ut  
heres institutus, prohibente hoc juris regula, quæ habetur in §. 10.  
Inst. de testam. ordin. & l. 20. in princ: ff. qui testam. fac. poss. minus ut  
exheredatus, aut præteritus: cum omnibus & in causis omnibus  
jura facultatem hanc dicendi testimonii in propria causa, etiam  
contra se ipsum submoverint. l. 10. ff. l. 10. C. de testib. d. can. c. 3.  
quest. 4. & certè quid dutius esse & dici possit, quam ut quis contra  
semetipsum testis esse debeat. Immò, l. 6. C. de testib. parentibus &  
liberis omnem testimonii dicendi licentiam adversus se invicem  
admit, etiamsi testimonium dicere velint: multò ergò minus  
cogetur quis testimonium adversus semet ipsum dicere: l. 7. C. de  
testib. Cùm igitur contra se ipsum testimonium dicere non possit,  
frustra testis adhibebitur.

Accedit 3. quod testimonium, in quo quis aliquid amittit,  
tām sit suspectum, quam suspectum est in negotio, quo quis ad-  
quirit. Atqui in negotio, quo quis adquirit, testimonium sim-  
pliciter rejicitur tanquam suspectum, etiam in testamento. l. 20. §. 5.

*ff. qui testam. fac. poss.* Ergo ut suspectum quoque rejiciendum testimonium in negotio, quo quis amittit: metuendum siquidem est, ne metu damni testamentum vel corrumptatur, vel omnino sigillum non recognoscatur, aliove modo ad testamentum evertendum allaboret.

7. Adurget 4. & hoc argumentum, quod nempe filium emancipatum adhibere ad testimonium testamenti paterni, eidem & triste ominosumque sit: licet enim filius emancipatus desinat esse suus heres, non tamen propterea desinit esse filius. §.11. *Inst. de hered. quæ ab intestat. def.* & simul grave durumque: necesse enim est, uti jam monuimus, ipsum eo casu vel præteritum, vel exheredatum esse; quo, quid difficilis filio esse potest, quām se non modò exclusum novisse: verū etiam adhiberi ad id, ut admittantur, alii eō, undē ipse exclusus est: tale autem jus triste & ominosum, grave simul & durum, Jurisprudentiæ Romanæ neutiquam tribendum est.

8. Neque impedit, quod pater in testamento filiisfamilias militis testis esse possit. l.20. §.2. *ff. qui testam fac.poss.* Respond. enim, hoc verum esse, si filiusfamilias testetur ante missionem: Nam si post missionem filiusfamilias testamentum faciat, pater non potest esse testis, neque frater. §.9. *Inst. de testam. ordinand.* Valet igitur illud testimonium patris ex privilegio militari: cùm milites testari possint, uti volunt & possunt. Et cùm olim etiam heres ad testimonium testamentarium fuerit admissus. §.10. *Instit. de testament. ordinand.* quid ni possit pater adhiberi in testamento filii militari: maximè, si filii militi fuerint liberi: ubi pater aliàs optimo jure ab illo præteriri potest, etiam quando filius miles, post missiōnem testatur.

9. Conclamat 5. & hoc, quod pater non possit esse testis in testamento veterani, quando nempe filius veteranus de castrensi peculio testatur, quamvis in hoc peculio jus patriæ potestatis cesseret, & quasi sublatum videatur: immò pater habeatur pro extraneo: filiusfamilias autem sit vice patrisfamilias in proprio patrimonio, cuius emolumentum omne ad filiumfamilias spectat. l. 1. §. ult. l. 2. *ff. de SC. Macedon.* l. ult. §.ult. C. eod. l.6. §.ult. ff. *injust. rupt.* l.15. §.3. *ff. de castrensi. pecul.* l. 3. 5 10. *ff. de Minor.* quod si igitur hoc casu patris testimonium excluditur, cur non æquè in testamento filii emancipi

pati pater vel: emancipatus filius in testamento patris testis esse prohibitus dicatur.

Maximè 6. quod aliàs quoque testimonium domesticum, 10.  
etiam in testamentis repudietur. §.9. Inst. de testam. ordinand. Cùm  
verò testimonium domesticum sit, aut esse possit, quod unicuique,  
seu ipsi testi in domo sua commodum vel incommodum afferat:  
sequitur filii emancipati testimonium hoc quoque modo repudia-  
tum jure habendum esse.

Sed qui hanc opinionem oppugnant, objiciunt 1. quod filius 11.  
emancipatus possit patri testamentum scribere, & se exheredem  
scribere, vel legatum sibi adimere. l.8. §.6. ff. de bonor. possess. contra  
tabb. l.14. in princ. l.22. §.ult. ff. ad Leg. Cornel. de fals. Verùm Resp.  
maiorem propositionem, hìc quidem occultatam, non procedere:  
neque enim sequitur: Quicunque potest testatori testamentum  
scribere, is etiam potest esse testis in testamento: Nam & servus  
potest testamentum scribere; qui tamen testis in testamento esse  
nequit. §.testis.6. Inst. de testam. ordin. l.10. in princ. ibi: servusve. l.15.  
in fin. princ. & paßim. ff. ad Leg. Cornel. de fals. l. 28. C. quitestam.fac.  
poss. Et si vel maximè syllogismum quis ita informare velit, ut in-  
vertat propositionem maiorem: Quicunq; potest esse testis in testa-  
mento, ille quoq; testamentum scribere potest. l.28. ff. qui test. fac. poss.  
Atqui filius emancipatus potest scribere testamentum patris. Ergò  
potest etiam esse testis in testamento patris. Tamen nihil concluderetur,  
quia ἀσυλλογία est manifesta, cùm conclusio in secunda figura  
debeat esse negativa.

2. Objiciunt §.9. Inst. de testam. ordinand. l.20. in princ. ff. qui 12.  
testam. fac. poss. ubi dicitur, quod is, qui in potestate testatoris est, non  
possit esse testis. Ergò, inferunt, qui non est in potestate testa-  
toris, is testis esse potest. Verùm Respond. rursus hìc ἀσυλλογία  
committitur: ita enim se insequuntur præmissæ. Quicunque est in  
potestate testatoris, ille non potest esse testis, sive prohibetur esse  
testis. Atqui filius emancipatus non est in potestate testatoris.  
Ergò filius emancipatus potest esse testis, sive, quod idem est, non  
prohibetur esse testis. Etenim hìc minor propositio negativa est  
in prima figura: Et certè vitium hoc non potest corrigi & emen-  
dari, si vel maior propositio simpliciter convertatur, & syllogismus  
ita constituatur, ut sit secundæ figuræ: Quicunque prohibetur esse  
testis,

testis, is est in testatoris potestate: Sed filius emancipatus non est in testatoris potestate. Ergò filius emancipatus non prohibetur esse testis Vel per propositiones infinitas in prima figura: Quicunque non est in potestate, ille in testamento testis esse potest, vel non prohibetur esse testis in testamento. Atqui filius emancipatus non est in potestate. Ergò non prohibetur esse testis, sive, testis in testamento esse potest. Maiorem enim propositionem falsam esse, appareret ex §. 6. & 7. Inst. de restam. ordin. ubi non tantum ex hac: verum etiam ex multis aliis causis prohibetur testimonii in testamento dictio. Quemadmodum etiam procedet argumentum, si vel maior propositio ita formetur: Quicunque prohibetur esse testis, is est in potestate testatoris. Atqui &c. Nam Respond. tex-tum illum adductum hanc conversionem non admittere: æquè ac nec illa, quæ habetur in §. 6. I. d.t. se converti patitur: illi testes in testamento adhiberi possunt, cum quibus est testamenti factio. Ergò omnes, cum quibus est testamenti factio, testes in testamento adhiberi possunt: siquidem jura alia, quæ in contrarium sunt, conversionem talem non admittunt.

13. Sed instant hīc adversarii, argumentum hoc induci à contrario sensu, quæ argumentandi forma non tantum in jure nostro frequens, & fortissima est. I. i. ff. de offic. eius cui mand. est jurisdict. Everhard. in Top. loc. 82. à contrar. num. 22. Verum etiam ipsis Logicorum filiis probata. vid. Dn. Daniel. Stahl. Tit. 17. Regul. 18. Verum Resp. habere argumentum, quod à contrario sensu dicitur, omnino etiam in jure nostro suum usum; sed præsuppositis terminis habilibus: nempe quando conversio sumitur vel ex proprio, vel ex definitione, ita ut termini in propositione salvâ veritate sint convertibles, veluti si quis dicat: Omnis homo est risibilis: omne risibile est homo. Vel: Omnis homo est animal rationale: & omne animal rationale est homo: Et quocunque animal non est rationale, illud non est homo. Ubi syllogismus, qui in secunda figura videtur esse affirmativus, facile sic emendare potest, ut fiat primæ figuræ: Et syllogismus primæ figuræ, minore negativa, facile potest emendari, ut fiat secundæ figuræ. Ast, quando prædicatum latius patet subiecto, ut salva veritas non maneat, si termini convertantur; sed absurdum resultet, aut correctio juris, tum argumentum hoc à contrario sensu nullatenus procedit: cùm non possint vitia syllogismi corrigi,

corrigi, exempli gratiâ, si quis dicat: Homo est bipes. Gallina non est homo. Ergò Gallina non est bipes. Aut hoc modo: Omnis homo est bipes. Gallina est bipes. Ergò. Hic argumentum à contrario sensu non procedit: quia, et si illa propositio vera sit: Omnis homo est bipes; tamen falsa est ea, quæ ex contrario sensu oritur: omne bipes est homo. Sic vera est propositio: Quicunque est in testatoris potestate, is prohibetur esse testis in testamento pagano: sed falsa est, quæ oritur ex conversione: Quicunque non potest esse testis in testamento pagano, is est in potestate testatoris: Item ex §. 6. I. de testam. ordin. propositio hæc: Testis in testamento adhiberi potest, cum quo testamenti factio est, vera est; sed non æquè conversa: Omnis, cum quo est testamenti factio, testis in testamento adhiberi potest. vid. Dan. Otto. I. Dial. 12. Vulteius I. discept. Scholast. 15. Gœdd. I. Conf. Marpurg. 25. n. 122.

3o. Opponunt: Omne testimonium testatori domesticum prohibetur. Filii emancipati testimonium non est testatori domesticum. Ergò filii emancipati testimonium non prohibetur. Sed Respond. iterum committi ἀσυλλογίσια: Minor enim propositio est negativa in prima figura: neque potest vitium hoc emendari, quia maior propositio non est convertibilis: quodcumque testimonium prohibetur, illud est testatoris domesticum.

Urgent 4. & hoc, quod nuspiam in jure legatur, filium emancipatum prohiberi testimonium ferre in testamento patris. Qui autem non prohibentur esse testes, illi testes esse possunt. I. I. §. I. ff. de testib. Respond. Etiamsi hoc legibus hactenus omissum sit; nota tamen omittendum religione judicantium, ut dicitur in I. 13. ff. de testib. Inurget enim affectionis ratio: cùm intersit filii emancipati, testamentum illud patris, ad quod signandum adhibetur, magis fortè infirmari, quàm confirmari. Quid, quod filius emancipatus, ne quidem in aliis causis possit esse testis patri suo. I. 20. §. 3. ff. qui testam. fac. poss. non poterit itaque etiam in testamento patris testis esse: qui enim removetur à testimonio in judicio, idein multò magis prohibetur etiam esse testis in testamento, in quo maius præjudicium versatur. I. 14. I. 15. ff. de testib., I. 20. §. 4. ff. qui testam. fac. poss. Reusner. d. I. num. 15. in fin.

14.

15.

## QVÆSTIO. VII.

*An Legatarius etiam in Testamento nuncupativo testis esse possit?*

Ad C. I. A. 28. ff. 10. th. 12. n. 4. in fin.

**I.** **U**T Jure Justinianeo expeditum sit, legatarium in testamento testem esse posse: hoc est, testi, vel signatori testamentario eodem testamento legari posse, per §. 11. Inst. de testam. ordin. & ibi Theophil. l. 20. ff. qui testam. fac. poss. l. 39. §. 1. ff. de legat. 3. ubi Scævola super hoc nec dubitandum esse ait. l. 14. ff. de reb. dub. l. 22. C. de Testam. Doctores etiam & Interpretes Juris communiter ita doceant & tradant: conferatur Sichardus ad l. 9. C. de testib. num. 1. & ad l. 22. C. de testam. num. 5. & seq. ubi idem tradit Salycet. num. 2. Castro. num. 2. Gilken. num. 6. Donell. num. 4. qui idem docet 6. Comm. 7. in fin. & ibi Hilliger. lit. O. Farinac. 2. de testib. 6. quæst. 60. num. 287. & ibi allegg. Mascard. 2. de probat. conclus. 972. num. 1. & 3. conclus. 1357. num. 6. & quos ibi laudat. Clarus in §. testamentum. quæst. 55. & ibi Harprecht. num. 18. Grassus §. testamentum. quæst. 57. n. 15. Flores Diez. de Mena. 1. var. quæst. 1. num. 25. Charondas 2. verisim 10. Perez. in comm. C. de testament. n. 11. Guil. Forner. 2. select. 12. Herman. Meyerer. 4. de testament. 2. num. 13. & seqq. Hontheim. 2. de arte Notariat. 46. num. 40. Francise. de Barry. 1. de success. 1. num. 28. & seq. Wesembec. in Parat. ff. qui testament. fac. poss. num. 11. & ibi in annotat. Schleiff. Bachov. Ludvvel. Hahn. Treutler. 2. disput. 10. thes. 4. lit. L. & ibi Bachov. & 2. disput. 5. thes. 8. lit. d. ubi Hunn. quæst. 38. Reusner. 4. de testament. 21. num. 4. & seqq. Arum. 7. Exerc. 16. & 17. Pandect. 8. P. Berens. 6. disp. 1. quæst. 8. Hackelman. 5. Pandect. 1. thes. 2. & quæst. illustr. 16. lit. h. Tilemann. 2. disput. 7. thes. 23. Röber. 11. disput. 6. Ummius 16. ad process. thes. 3. num. 10. Doctor meus Ortolph. Foman. senior, ad cap. 6. extr. de testib. quæst. 1. ubi ita à Collegio ICtorum in Alma Salana pronunciari refert & testatur. Tim. Faber 18. annivers. 10. lit. c. Vigl. Mynsing. Wesembec. Heig. Giphan. Vulteius, Harprecht. Bachov. Franck. Ludvvel. Merillius, qui etiam tradit, hoc semper, etiam ante Justinianum

nianum obtinuisse, per l.14. ff. de reb. dub. Marcill. & Interpp. Comm.  
ad §.11. Inst. de testam. ordin.

Placuit tamen enunciatum hoc in dubium vocare, & id, saltem  
quà comprehendit testamentum nuncupativum negare: quod le-  
gatario in eo testamento liceat esse testi, Duarenio in comm. Iur.  
Civ. Tit. de Testamento. c. de testib. testamentariis. v. hac subtilitas movie  
Anton. Fabro decad. 66. error. pragm. 1. & 2. Dauth. tr. de testam. in  
l.20. ff. qui testam. fac. poss. num.6. Hœnon. 7. d isp. Inst. 9. Joachim.  
Schultzen 3. assert. 6. Fabrotto. in not. ad Theophil. d.l. lit. n. ibi: ut ei,  
qui in testamento rogatur, legari possit, hac constitutione non cavetur.  
Autumnus 2. in cens. Gallica. ad l.22. C. de test. cui cum juris constituti  
evidentia obstaret, hactenus tantum illud notavit, quasi ab æquitate  
alienum esset, & idem abrogandum: quo etiam inclinat Grœneweg.  
in tr. de ll. abrogg. ad §.21. Inst. de Testam. ordin. num.7. ibi: legatarios in  
testamentis testes adhibere, à juris ratione alienum puto. Hieronym. de  
Cævallos. 2. pract. quest- 797. per tot. Vincentius Borreus in alvear.  
Iur. Tit. 110. circ. fin. ibi: nec legatarius: licet obstrepat varia leges, &  
textus etiam Instit: que altercationes & textus diluentur facile cum hac  
distinctione, scilicet, legatarium testem esse posse in testamento scripto so-  
lemni; non autem in nuncupativo: & ratiō, quod scilicet in illo ignoret  
legatarius, quid in eo contineatur; in nuncupativo vero non ignoret, ideo-  
que non mirum, si in hoc à ferendo testimonio repellatur. Du.D. Richter.  
1. decif. 31. ubi secundum hanc opinionem Collegium ICrorum Ienen-  
sium pronunciasse, Obwohl bekande / daß vermög eslicher textuum  
Juris, der Legatarius Zeug seyn könne: So ist doch solches von dem  
Testamento scripto, vnd da die Zeugen nicht wissen / was in dem  
Testamente enthalten zu verstehen &c. refert & pergit: Legatarium in  
testamento nuncupativo omnino non testem esse posse, adeo, ut non tan-  
tum testimonium, sed & ipsum testamentum, ex defectu numeri testimoniū  
nullum sit.

Collatis itaque pro & contra militantibus rationibus, liceat  
arbitrari, quæ sententia in puncto juris prævaleat, & palmam me-  
reatur. Et quidem communis opinio, sive sententia affirmans:  
legatario non tantum in scripto, verum etiam in nuncupativo testamento  
licere esse testi: hisce, ex pluribus aliis, nititur rationibus præcipuis.  
1. Quicunque non juris (scilicet universi) successores sunt, illi pos-  
sunt in testamento adhiberi testes. d. §.11. Inst. de testam. ordin. Atqui

legatarii non juris successores sunt. d. §. II. Ergò legatarii possunt esse testes in testamento.

4. 2. Probatur hoc argumento : Cum quo principaliter non geritur totum negotium in testamento , (præsupposito hoc, quod ex alia causa non prohibeatur) in eo testis adhiberi potest, quamvis ex testamento commodum accipiat. §. IO. Inst. de testam. ordinand. Atqui cum legatario à testatore non geritur totum negotium in testamento : siquidem cum eo geritur totum negotium , qui est juris successor. Jam autem demonstratum est , quod legatarius non sit juris successor, nec propriè dici possit, ullum planè negotium eundem cum testatore gerere. §. heres. 5. Inst. de oblig. quæ ex q. contract. nasc.

5. 3. Probatur inductione d. l.14. ff. de reb.dub. Per quos testamentum confirmatur , iis legari potest. Atqui per testes testamentarios testamentum confirmatur, d. l.14. Ergò testibus testamentis iis legari potest. Quæ propositio , licet Bachovio in comm. ad §. II. Inst. de testam. ordin. obscura videatur , & ob id in rationem illius curiosus inquirat, uti inibi videre est : frustra tamen propositionem ex ipsa juris ratione & principio clarissimam sollicitat : Etenim, Trebatii thesis seu potius decisio ad casum propositū hæc est : Signatori sive testi testamentario legatum à testatore in eodem testamento relictum est utile : Pomponius eandem veram & juridicam agnoscens, addit rationem decidendi , quæ hæc : quia ipsum testamentum confirmatur testibus : ratio rationis est : quod cum illis , qui ad confirmandum aliquod negotium adhibentur , ipsum illud negotium non geratur. Atqui testes tantum ad confirmandum testandi negotium adhibentur. Ergò cum illis illud negotium non geritur. §. 5. Inst. de obligat. quæ q. ex contract. nasc. Cum quibus autem ipsum negotium testamenti ordinandi non geritur, nec cœtera in specie jure prohibentur, iis potest aliquid in testamento relinqu. arg. §.IO. Inst. de testam. ordinand. Atque hæc tres rationes, cùm generaliter & indistinctè in jure tradantur & inducantur , non debent distinctione aliquâ restringi & limitari.

6. 4. Hæc quoque inductione Doctores utuntur ex l.22.C.de testam. ubi dictantes & testes testamentarii in hoc conferuntur & comparantur , quod testator illis legatum testamento simul relinquere possit.

s. Quod

5. Quod in omnibus legibus, ubi de legatariis ad testimonium testamentarium adhibendis agitur, ut & in l. 20. pr. ff. qui test. fat. poss. non distinguatur inter scientem & ignorantem legatarium. Ideoque nec nostrum sit distinguere. l. 8. ff. de publician. in rem. act. & ibi Gothofred. in not. lit. y. ubi enim generalis est determinatio, ibi non est distinguendum: præsertim ubi ex ea re sumitur distinctione, quam legislator, qui hanc omisit, satis notam habuit. l. 1. §. 1. ff. si mens. fals. mod.

Accedit 6. quod quæcunque jure veteri obtinuerunt, ea, nisi antiquata probentur, adhuc obtineant. l. 27, C. de testam. l. 32. §. ult. C. de appellat. Atqui jure veteri obtinuit, ut ii, qui ex testamento caperent, si negotium totum, cum ipsis non ageretur, possent testes adhiberi: ut appareat ex eo, quod veteres ipsum etiam heredem admiserint eâ ratione ad testimonium testamentarium, & quod ex Quiritibus iis, qui in testamento calato calabantur sive rogabantur, ut testimonium perhiberent, quidam poterant esse legatarii: atque ita testes erant, licet scirent, se heredes vel legatarios esse. Neque enim potuit testamentum mysticum sive arcanum haberri, antequam jure prætorio signorum impositio introducta esset: Quo facto, postea demum testamenta & obsignari & claudi cœperunt. Fuisse autem illa testamenta veterum nuncupata, inde colligere est, quod alias, quis heres institutus, aut cui legata data essent, aut quis esset Tutor, scire non potuisset. Atque eâ ratione in §. ult. Inst. de testam. ordinand. nuncupativum testamentum Jure civili perfectissimum, firmumque constitutum esse dicitur. Sic Cicero & Clodius in testamento palam facto, scripti erant heredes: & nihilo minus signatores fuere. Cicero pro Milone. Simile quid legitur apud Plinium lib. 2. Epist. ultim. ita ut propterea Gothofredus ad d. l. 21. C. de testament. lit. b. rectè notetur à Bachovio ad §. 11. Inst. de testam. ordin. & erroris redarguatur, quando docet, non tantum ex Senatus consulto Liboniano olim testes legatum accipere non potuisse: verum etiam, quod à Plinio d. l. hoc vocetur genus falsi improbissimum &c. cùm imò contrarium ex illo ipso loco appareat, nempe jam tum testibus legari potuisse: & à Plinio hoc tantum falsi genus improbum dici, si quis malis artibus testatorem, ut sibi aliquid leget, inducat. Neque reperitur jus hoc mutatum esse in legatario, quemadmodū in herede mutatum legimus, §. 10. Inst. de testam. ord. Relinquitur ergo, quod

8.

L 1 3

lega-

legatarius in testamento nuncupativo testis adhiberi possit, licet sciat sibi legatum esse.

9. Quia 7. scientia ne quidem impedit legatum : Si enim dictanti testamentum , & per consequens scienti legatum dari potest, vel fideicommissum. d. l. 22. C. de Testam. neque tamen inde judicium defuncti subvertitur : quidni etiam testi , quamvis scienti possit legari: maximè, cùm in d.l.22. æquè agatur de testibus, atque de iis, qui testamentum dictant. Potest igitur in teste tolerari ea qualitas, quæ toleratur in eo , qui testamentum dicit. Nam scientiam nihil impedit, quod minus is, qui scit sibi aliquid relictum esse, testis esse possit, colligi potest ex supra adducta ratione sextā: & facit huc d.l.39.§.1. ff. de legat.3. Cùm igitur ratio differentiæ nulla sit necessaria inter testamentum nuncupativum & scriptum : nulla quoque differentia hactenus introducta videtur , utpote cuius differentiæ nulla in Jure aut alibi apud veteres extant vestigia. Etenim si scientia aliquam afferret differentiam , tum differentia illa constituenda esset non inter testamentum nuncupativum & scriptum ; sed inter testamentū clausum & mysticum sive crypticum: & inter apertum, notum & manifestum , quale non tantum est nuncupativum : sed etiam quoddam testamentum scriptum, non clausum.

10. XI. Contrà verò, nempe in testamento nuncupativo legatarium testem esse non posse, hisce à propugnatoribus asseritur argumentis. 1. Quicquid de solo testamento scripto prædicatur , id non est tribuendum testamento nuncupativo, At, quod legatarius in testamento testis esse possit, id prædicatur de solo testamento scripto. Ergò illud non est tribuendum testamento nuncupativo. Minor probatur , quia & Impp. in §.II. Inst. de testam. ordin. & l. 22. C. de testam. & JCti in l.20. princ. ff. qui testam. fac. poss. & l.14. ff. de reb. dub. loquuntur de testamento scripto : & quidem, quod d. §.II. spectat, apparet id ex ipso ordine: cùm de testamento nuncupativo agatur tantum in § ult. Inst. de testam. ordin. in reliquis autem §§. usque ad ultimum agitur tantum de testamento scripto.

11. XII. Verùm Respond. 1. istam ex ordine §§. collectionem esse imbecilliorē, quàm ut hoc, quod in quæstione est, evincat. Siquidem manifestum est , quod pro re nata inibi explicitur etiam communia utriusque testamenti : non autem mera singularia testamenti scripti: alias sequeretur, quod ii , qui testes esse non possunt in §. 6.

9. 10.

9.10. intelligendi essent, quod tantum testes esse non possent in testamento scripto: possent autem testes esse in testamento nuncupativo: & rursus, qui testes esse possent in §. 6. 7. & 8. illi tantum in testamento scripto testes esse possent, non etiam in nuncupativo: quorum utrumque est absurdum: pertinent igitur illi quoque §§. ad communia utriusque testamenti: & proinde §. 9. 10. & 11. quoque eodem pertinere potest. Wissenbach. i. disp. Pand. 54. th. 26

Probatur etiam *Minor* ex d. l. 20. ff. qui testam. fac. poss. ibi enim 13. cùm Tutor dicatur scriptus, apparet testamentum esse scriptum. Sic in d. l. 22. ff. de Testament. ex verbo, dictantibus, apparet, ibi scripturam intercedere. Sic in l. 14. ff. de reb. dub. expressè dicitur: si quis ita scripsiterit &c. Verum respond. non esse necessarium hoc argumentum, à scriptura ad testamentum scriptum: potest enim scriptura & dictatio etiam intercedere in testamento nuncupativo. l. 1. §. 5. l. 9. §. 2. 5. ff. de hered. instit. Et quod in objectis legibus dicitur de scriptura, id non illicet habet vim excludendi: atque ita non statim prædicatur proprium certum de subjecto: cùm etiam, exempli causa, de scripto testamento, tanquam præcipuâ testamenti specie, dicantur ea, quæ in genere de quovis testamento dici possunt. *Minor* itaque propositio in prima ista objectione laborat, neque probatur satis. Sed nec *Maior* quoque propositio simpliciter procedere potest, quæ hactenus limitanda: Quicquid de solo testamento scripto tanquam proprium eius pædicatur, id non potest convenire testamento nuncupativo: & sic limitatâ maiore propositione, multò difficilius probatur *minor*: Etsi enim quædam leges loquantur de testamento scripto; tamen falsum est, quod ibi de solo testamento scripto tanquam proprium prædicetur, quod legatarius in eo solo testis esse possit: id enim neq; in locis allegatis expressè dicitur, neq; legitimâ ratiocinatione inde concludi potest.

2. argumentum tale est: Ubiunque cessat causa, quæ legatariis in testamento permittit testimonium, ibi cessat quoque ipsum legatarii testimonium. Atqui in nuncupativo testamento cessat causa, quæ legatariis in testamento permittit testimonium. Ergo in testamento nuncupativo cessat quoque ipsum legatarii testimonium. *Minor* probatur: quia causa, cur legatarius possit testimonium perhibere in testamento, est, quod ignoret sibi aliquid relictum esse, atque ita nulla in illo metuenda sit corruptio: qui si sciret, sibi aliquid

aliquid in testamento relictum esse, id quâvis ratione, etiam falso aliquo commisso, acturus esset, ut testamentum valeret. Ea verò causa cessat in testamento nuncupativo, ubi omnia clara, expresa & nuncupata sunt.

15.

*Respond.* In probatione minoris multipliciter impingitur & peccatur: Nam 1. non est universalter verum, quod legatarius sciat, in testamento nuncupativo sibi legatum esse: cùm is, qui testamentū nuncupativum fecit, possit in tabulis quasi codicillis legata relinquere. *l. ult. ff. de Iur. codic.* atq; ita non pollet legatarius simpliciter repelli à testamenti nuncupativi testimonio. 2. Maligna etiam nimis est ista suspicio adversus legatarium virū bonum, quasi lueri sui, & plerunque exigui gratiā sit fidem mutatus, quæ propterea non est vulgo recipienda: cùm quis bonus præsumatur, donec contrarium probetur, per notissima Juris. fac. cap. ult. extr. de præsumpt. Quid, quod legatarium pœna magis falsi à committendo falso avocare & detinere possit & debeat: cum mali etiam formidine pœnæ peccare metuant & oderint: ideoque minus gravandus est legatarius eiusmodi finistrâ suspicione. 3. Quod testes ad testamentum plerunque vocari soleant amici, *l. 39. §. 2. ff. de leg. 3.* & vocet quisque eum, quem sibi vel maximè fidelem fore credit, cuiusque fidem sibi imprimis probatam habet, qui non potest esse, nisi amicus: absurdum autem sit, justale constituere, quo beneficium amico sit maleficio & incommodo: & cum etiam præmio sint invitandi testes, ut per eos testamentum confirmetur, certè iniquum fuerit, testem eo ipso, quod testis esse debeat, arceri à benevolentia testatoris, & eum, qui confirmat & efficit valere ultimam voluntatem, & citra quos non futurus quis esset heres, hereditatemve consequeretur, ab omni ultimæ voluntatis honore repelli, contra *l. 14. ff. de reb. dub. l. 22. C. de Testament.* videatur locus elegantissimus apud Symmachum *lib. 10. Epist. 55. ad Theodos. Imp.* ubi legata talia, quæ defunctus subscriptori dederat, vocat *tenuem honorem: ceteroquin, inquit, si his legibus viveremus,* (ut scilicet nihil legare licere subscriptoribus) inimicis signatoribus tutius uteremur: & paulò post: *Quis non familiarissimum quemque signandis adhibet, cùm extrema conduntur: vocatque inibi objectionem hanc inanem calumniam: quæ solùm post humanam memoriam emersisset: quem ex Cuiacio ad d. l. 20. qui testam. fac. poss. citat, & ex parte refert Gothofred. ad l. 22.*

in nos.

in nos. lit. b. plenius Bachov. ad §. 11. Inst. de testam. ordin. Quid, quod vel hāc occasione testamenta difficulter conderentur, quia testator, si vir bonus esset & magnificus, verecundaretur aliquem ad testimonium advocare, quod eo ipso, dum illum vocaret, ipsi simul denunciaret, se eidem nihil esse reliqtum.

*Instet quis :* At posset ille adhuc vivus gratum animum remuneracione declarare. *Resp.* 1. quia, quamdiu inter homines agimus, nobis met ipsis opus est bonis nostris : cum nihil habentibus haud facilē quispiam offerat : unde etiam fit, ut plerique minus prompti sint ad donandum, quamdiu vivunt, & reservent suam liberalitatem in id tempus, quo jam amplius egere non possunt. Atque ita testes vocarentur quidem ad testimonium ut amici ; tractarentur vero ut inimici, quia eo ipso ab omni testatoris liberalitate prohiberentur : vel cogeretur testator esse liberalis, antequam vellet : aut experiri, quod vocatus hoc ipsi gratum officiū præstare recusaret. 2. Si contraria sententia esset vera, tum nemo etiam facilē permitteret se rogari ad testimonium testamentarium : immō indignaretur potius se vocari ad testimonium, aliosque sibi præferri à testatore. 3. Qui rogati sunt, possunt etiam deficere à fide, ut negarent testamentum, è quo ipsi nihil sperare possent, partim, ut aliis nocerent, partim, ut testatorem ulciscerentur, qui ipsos amicitia sua elusisset : quæ omnia tam facilē evenire possunt, quam difficulter vir bonus corrumperetur à vilitate habendi legatum. 4. Arcerentur legatarii ex hac sententia à testimonio testamenti scripti manifesti. 5. Præsupponitur, quod ea sit causa, cur in mystico testamento, in quo solū, ex contraria sententia, testes esse possunt legatarii, legarius testis esse possit, quod scilicet ignoret, sibi quid legatum esse, cùm tamen ea causa nuspīam tradatur, atque ita committatur petitio principii, & multiplex interrogatio, omisā sciūcet quæstione, an sit? Denique 6. si spes lucri repelleret testem, eadem autem in mystico quoque testamento esse possit, repelleret pariter legatarium ut testem à testimonio in testamento mystico.

Objiciunt dissentientes 3. quod nemo in propria causa testimonium perhibere possit, per l. 10. C. de testib. l. 10. ff. eod. Atqui causa, cuius emolumentum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet, est causa propria, l. 1. §. 11. ff. quando appellare. Ergo nemo in causa, cuius emolumentum vel damnum ad aliquem pertinet suo

nomine, testimonium perhibere potest. Jam verò legatarium ferre testimonium in eo testamento, in quo ipsi legatum, est ferre testimonium tale, cuius emolumentum vel damnum ad ipsum legatarium suo nomine pertinet, quod evidens & manifestum est. Ergò non poterit testimonium ferre.

18.

*Respond.* 1. dubitari potest, utrum propriæ causæ definitio (quæ ex d.l.1. §.11. sumitur) sit universalis: an verò tantum subjectæ materiæ accommodata, cùm scilicet quæratur de appellatione: an quis in propria, an verò in aliena causa appellaverit? 2. dici potest, ad testem legatarium non pertinere damnum vel emolumentum suo nomine, sed pertinere id ad heredem, qui per testes ipsos probat, testamentum factum esse: & id probat non tantum per se, sed etiam adversus se: ut scilicet ipse habeat non tantum commoda hereditaria ex testamento, sed etiam cogatur pati incommoda hereditaria ex eodem testamento. Neque potest eorū fidem reprobare heres contra se, quorum fidem ante probavit pro se. Etsi igitur quæstio de legato sit appendix illius quæstionis de testamento: tamen quæstio de testamento est diversa à quæstione de legato: atque ita in altera quæstione feret testimonium legatarius; non in hac, quæ propriè ad ipsum pertinet. 3. etiam hoc considerandum, multa permitti in consequentiam, quæ non permittuntur principaliter & directò. l.1. ff. de auct. Tur. l.55. ff. de adq. hered. l.29. in fin. ff. de liberat. legat. l.3. ff. quæ res pignor. cum similib. At commodum legatarii per consequentiam demum venit, non principaliter intenditur. Ergò potest admitti: id quod etiam innuunt d. l.22. de testam. & §.11. Inst. de testam. ord. ibi: quia non juris successores sunt. 4. quætri etiam potest: an regula l.10. C. de testib. extendenda quoque sit ad testamenta: & non potius restrin- genda ad controversias judiciarias: sanè enim d. l.10. videtur perti- nere ad judicia, cùm sit particula legis unica. C. ne quis in sua caus. ubi ex eo, quod quis non possit in se dicere testimonium, prohibetur quoque sibi jus dicere. 5. regula illa obstat etiam testamento scri- pto mystico, in quo manifestè repudiatur. §. 11. Inst. de testam. ordin. Unde apparet, quod præmissæ huius objectionis haud quadrent ad hanç quæstionem. Quo etiam pertinet, quod ob solemnem num- rum in testamentis non æquè facile corrumpi possint testimonia, quemadmodum in aliis causis, ubi duorum triumve testimoniis nos contentos esse oportet.

QV. 18.

**ULB Halle**  
006 682 197

3



KD17



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-559529-p0034-0

DFG

# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

